

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput XCIII. Continens Colloquium Petri Cum Christo De Offensa Fratri
Remittenda, Matth. 18. v. 21.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

viniani rejicere non poterunt. Quicquid aeterno Dei $\lambda\omicron\gamma\omega$ per nexum hypostaticum omnipræsenter unitur hoc & creaturis, (quæ in Deo $\lambda\omicron\gamma\omega$ illocaliter existunt) omnibus, mediante hoc nexu, illocaliter adest. Humana Christi natura Deo $\lambda\omicron\gamma\omega$ omnipræsenter hypostatico nexu unitur. Ergo & creaturis omnibus in Deo $\lambda\omicron\gamma\omega$ illocaliter existentibus illocaliter adest. Major exemplo animæ & corporis, quo simili Patres usi sunt, illustrari potest. Calumnia itaque est, quod Calviniani nobis portentosam expansionem & diffusionem carnis Christi per cælum & terram affingunt. Atqui divinitas ipsa omnia præsentia habet sine extensione: quid ergo opus est coextensione carnis? Caro non in seipsa vel localiter præsentia est, neque Ecclesiæ neque reliquis Creaturis, sed illocaliter $\epsilon\nu\tau\omega\lambda\omicron\gamma\omega$, totaliter in ipsa habitante, omnes creaturas præsentia videt & ipsis adest.

Observent autem Theologiæ studiosi, diversos esse gradus præsentia Christi ἑαυθρώπῃ , apud suos in Ecclesia (de quo gradu in hac sententia agitur) & apud omnes creaturas. Ut enim vulgo in scholis quatuor gradus præsentia Dei, & quidem recte, numerant: ita iidem quatuor gradus etiam humanæ Christi naturæ accommodari possunt. Nam 1. humana natura præsentia est $\tau\omega\lambda\omicron\gamma\omega$ filio Dei *personaliter*, cui unita est $\alpha\omicron\nu\chi\upsilon\tau\omega\varsigma$, $\alpha\tau\epsilon\acute{\rho}\theta\eta\omega\varsigma$, $\alpha\delta\iota\alpha\iota\tau\epsilon\tau\omega\varsigma$, $\alpha\chi\omega\epsilon\lambda\iota\sigma\omega\varsigma$, inconfuse, inconvertibiliter, indivulsa, & inseparabiliter, & proinde in æternum ab eo divelli nequit. Quod enim filius Dei semel assumpsit, in æternum amplius non deponit. 2. Eadem humana natura $\epsilon\nu\lambda\omicron\gamma\omega$ præsentia adest sanctis angelis & beatis animabus in cælo *glorioso*: ut indefinenter nunc videant claritatem ejus, quam dedit ipsi Pater, Joh. 17. v. 24. 3. Eadem humana assumpta natura adest $\epsilon\nu\lambda\omicron\gamma\omega$ Ecclesiæ suæ *gratioso*: Ecclesiam suam gubernans, ejus ministerio benedicens, per baptismum homines

regenerans, in sacra Coena corpore & sanguine, suo suos pacens, piorum preces exaudiens, hostes coercens, & tandem fideles ab omni malo liberans. 4. Eadem humana assumpta natura præsentia adest $\epsilon\nu\lambda\omicron\gamma\omega$, & non in loco omnibus creaturis *universaliter*, eas creando, conservando, ad destinatum finem dirigendo, intra limites à Deo ordinatos continendo, & tandem etiam, ubi finem suum consecuta sunt, destruendo. Sic ergo humana Christi assumpta natura $\epsilon\nu\lambda\omicron\gamma\omega$ collocata est in thronum divinæ majestatis, non ut ibi otiosa desideat, aut interdum cum sanctis dispiciatur: sed ut adhibeatur gubernationi totius Universi, ita ut juxta Athanasium filius Dei IN assumpta hac sua humana natura, CUM ea, & PER eam, omnia divinitatis suæ opera exerceat & exsequatur.

Quin & hoc observandum. Quia Christus hic in statu exinanitionis dicit: *Ubi duo vel tres in nomine meo sunt congregati, ibi sum in medio eorum*, quod veritas ejus dicti sit credenda: ita ut etiam tum, quando duodecim Apostolos emisit binos, Marc. 6. v. 7. & postea rursus septuaginta binos & binos, Luc. 10. v. 1. ipse præsentia sua gratia, ipsis affuerit. Item quando Hierosolymis Nicodemus & Josephus de Arimathea, aut Capernaumi centurio, Regius & Jairus in nomine Christi convenerunt, ipse in medio eorum fuerit. Quanto magis ergo nunc, postquam assumptus est in gloriam, ubique suis adest cooperans & sermonem prædicatum confirmans, Marc. 16. v. ult. Ipse enim est filius ille hominis, qui ambulat in medio candelaborum aureorum, hoc est, particularium Ecclesiarum in orbe dispersarum, & in manu sua habet stellas, hoc est, non tantum Doctores, sed etiam veros fideles, qui in medio perversa & prava nationis lucent tanquam luminaria in mundo, Apoc. 1. v. 13. Philip. 2. v. 15.

CAPUT XCIII.

CONTINENS COLLOQUIUM PETRI CUM
CHRISTO DE OFFENSA FRATRI REMITTENDA,
MATTH. 18. v. 21.

RATIO ORDINIS.

Praterequam quod particula continua-
tiva $\text{καὶ τὸν αὐτὸν καινόν}$, quam Matthæus ponit,
nos certiores reddit, sequens hoc collo-
quium præcedentem concionem
recta insecutum esse, etiam ipsæ Cir-
cumstantiæ idem commonstrant. Quia enim
Christus in extrema parte concionis suæ docue-
rat, fratri, si redargutionem audiat & admittat,
ignoscendum esse. Sicuti Luc. 17. v. 3. Christus
in repetitione hujus Concionis diserte addit: *Si pe-
nitentiam egerit, dimitte illi*. Placuit Petro hanc quæ-
stionem Christo proponere, quot vicibus ei igno-
scendum sit: ad quam Christus eleganti parabola

respondet, qua primo quidem doctrinam suam
hactenus in Galilæa propositam, quasi in unam
summam contrahit: monens omnia eo directa
esse, ut discamus Deo rationem reddendam esse de
vita nostra: & quia in judicio consistere minime
possimus, operam dandam, ut gratuitam peccato-
rum remissionem à Deo impetremus: qua impe-
trata cavendum esse, ne eam denuò amittamus, sed
ut constanter eam ad finem usque retineamus. Et
quia hæc amitti possit per immiserordiam erga
fratres: iccirco reconciliationi cum proximo iden-
titem studendum esse.

COLLO.

COLLOQUIUM PETRI CUM CHRISTO SUPER QVÆSTIONE, QUOTIES FRATRI SIT IGNOSCENDUM.

MATTH. 18.

- 21. Τότε προσελθὼν αὐτῷ ὁ Πέτρος, εἶπε· κύριε, πόσαις ἀμαρτησίαις ἐμέ ὁ ἀδελφός μου, καὶ ἀφήσω αὐτῷ; ἕως ἐπτάκις;
- 22. λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ἕως ἐπτάκις, ἀλλ' ἕως ἑβδομηκοντάκις ἐπτά.
- 23. Δὶς τὸ ὁμοιωθῆναι βασιλείαι τῶν ἑβραίων αὐθροάπω βασιλεῖ, ὃς ἠθέλησε σαῶσαι λόγον μᾶλλον ἢ δούλων αὐτοῦ.
- 24. ἀρχοὺς δὲ αὐτῷ σαῶσαι, καὶ ὁμοιωθῆναι αὐτῷ εἰς Φαίλις μυριάτων πελαγῶν.
- 25. Μὴ ἔχουσι δὲ αὐτῷ δοσθῆναι, ἐκείθεν αὐτῷ ὁ κύριος αὐτῷ περὶ ἀφῆσαι, καὶ τῷ γυναικί αὐτοῦ, καὶ πᾶσι τέκνοις, καὶ πάντα σου εἶχε, καὶ δοσθῆναι.
- 26. λέγει αὐτῷ ὁ δούλος, προσεκύνη αὐτῷ λέγων, κύριε, μακροθύμησον ἐπ' ἐμοί, καὶ πάντα σοὶ δοσώσω.
- 27. Σπλαγχνισθεὶς δὲ ὁ κύριος, ἔδωκεν αὐτῷ, ἀπέλυσε αὐτῷ, καὶ τὸ δάνειον ἀφῆκεν αὐτῷ.
- 28. Ἐβελθὼν δὲ ὁ δούλος ἐκείνου, εὗρεν ἕνα τῶν συνδούλων αὐτοῦ, ὃς ἀφείλεν αὐτῷ ἑκατὸν δηνάρια, καὶ κροτήσας αὐτῷ, ἐπύνη, λέγων· ἀπόδο μοὶ ὁ πῶς φείλις.
- 29. Περὶ τὸν δὲ συνδούλον αὐτοῦ εἰς οὐδὲν πόνους αὐτοῦ, παρεκάλεσεν αὐτῷ, λέγων· μακροθύμησον ἐπ' ἐμοί, καὶ πάντα δοσώσω σοί.
- 30. Ὁ δὲ οὐκ ἠθέλησεν, ἀλλ' ἀπέλθων ἔβαλεν αὐτῷ εἰς φυλάκιον, ἕως ἂν δοσθῶ τὸ ὀφειλόμενον.
- 31. Ἰδόντες δὲ οἱ συνδούλοι αὐτοῦ τὰ ἔργα αὐτοῦ, ἐλυπήθησαν (φοβῶν) καὶ ἐλθόντες διεζήτησαν τὴν κυρίαν αὐτῶν πάντα ἡγορεύοντες.
- 32. Τότε προσκαλεσάμενος αὐτῷ ὁ κύριος αὐτῷ, λέγει αὐτῷ· δὸλε πηρὲς, πᾶσαν τὴν ὀφειλὴν ἐκείνου, ἀφῆκε σοί, ἐπεὶ παρεκάλεσάς με.
- 33. Ὁ δὲ εἶπε καὶ σὺ ἐλεήσω τὸν συνδούλον σου, ὡς καὶ ἐγὼ σε ἤλεσα;
- 34. Καὶ ἀρχοὺς δὲ ὁ κύριος αὐτῷ παρεδωκεν αὐτῷ τῶν βασιλευσίων, ἕως ἂν δοσθῶ πᾶν τὸ ὀφειλόμενον αὐτοῦ.
- 35. Ἦτα καὶ ὁ πατήρ μου ὁ ἐπουράνιος ποιήσει υἱὸν ἐκὼν μὴ ἀφῆσαι ἕκαστον τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ ἀπὸ τῆς καρδίας ὑμῶν τὰ ὀφειλόμενα αὐτῶν.

- 21. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei? num usq; septies?
- 22. Dicit illi Iesus: non dico tibi usq; septies, sed usq; septuagies septies.
- 23. Ideo assimilatum est regnum caelorum homini regi, qui voluit conferre rationem cum servis suis.
- 24. Et cum cepisset conferre, oblatum est ei unus, qui debebat ei decem millia talentorum.
- 25. Ceterum cum is non esset solvendo, iussit eum dominus ejus vendari, & uxorem ejus & liberos, & omnia quae habebat, ac fieri solutionem.
- 26. Proci dens autem servus ille adomabat eum dicens: Domine esto patiens erga me, & omnia tibi reddam.
- 27. Misertus autem Dominus servi illius, absolvit eum, & es alienum remisit ei.
- 28. Egressus vero servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat sibi centum denarios, & injecta in eum manu obtorto collo trahabat, dicens, solve quod debes.
- 29. Et proci dens conservis ejus, rogabat eum, dicens: esto patiens erga me, & omnia reddam tibi.
- 30. At ille nolebat, sed abiit, & conjecit eum in carcerem, donec redderet debitum.
- 31. Porro cum vidissent conservi ejus, quae fiebant, indoluerunt valde, & venerunt, aperueruntq; domino suo omnia, quae facta fuerant.
- 32. Tunc accersivit illum Dominus suus, & ait illi: Serve scelestè, totum debitum illud remisit tibi, cum obsecrasses me.
- 33. Nonne oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus enim?
- 34. Et iratus Dominus ejus, tradidit eum tormentibus, quoad usq; redderet totum, quod debebatur sibi.
- 35. Sic & Pater meus caelestis faciet vobis, si non remiseritis suo quisq; fratri ex cordibus vestris delicta illorum.

Periocha hujus Colloquii.

Petrus occasionem proponenda sua quaestio- nis inde defumisse videtur, quod Christus in tertia parte praecedentis concionis, in qua tractavit de fraterna admonitione in privatis laesionibus, tantum docuit, quomodo tractari debeat ille frater, qui contumacior injuriam illatam non vult agnoscere: esse nimirum illum prima, secunda & tertia vice redarguendum, si quo modo lucrificari possit: Sin omnis labor sit irritus, ipsum tanquam Ethnicum & publicanum esse devitandum. Est autem & aliud genus nos offendentium qui vel non admoniti, vel certe admoniti mox erratum agnoscunt & deprecantur. De his quidem Christus in repetitione hujus concionis Luc. 17.

v. 3. dicit: si poenitentiam egerit, remitte illi: non autem exprimit numerum, quoties sit remittendum. Petrus ergo incidit in illas cogitationes: sicuti certus numerus expressus est in correptione fraterna, eodem modo etiam certum numerum exprimendum esse in remissione & reconciliatione. Et quia in redargutione sufficit, si tertia vice ea repetatur: interrogat Petrus, an non sufficiat, si in remissione offensae hic numerus duplicetur, aut etiam adhuc unitas auctarii vice adjiciatur. Domine, inquit, quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei? Eo respicit Petrus, quod quidam homines adeo fallacis sunt ingenii, ut reconciliationem quidem cum fratre quarant, vel



commodi sui causa, vel ut offensas tanto crebrius iterent, sicque proximo tanto acrius faciant. Exiſſimat itaque Petrus, indulgentiam istam reſtringendam eſſe, ne aliqui iſta condonandi facilitate ferocioreſ facti, in nimiam licentiam effundantur. Querit igitur, *num ſufficiat uſque ſepties*. Abſque dubio reſpexit Petrus ad illud Salomonis Pro. 24. verſ. 16. *Septies in die cadit iuſtus, & reſurget*. Prodit autem Petrus hac ſua quaſtione communem morbum, quo plerique omnes laboramus. Nam etiam piis interdum & iis, qui natura ſunt placabiles, bilem movet, ſi videant alios eorum æquanimitate abuti, & ſubinde prioreſ offenſas repetere. Unde quotidianis offenſionibus deſatigati, condonationem in poſterum ſuſpendendam exiſtiant.

Sed hi cum Petro audiant Chriſtum, qui diſcipuli præiudicium corrigens teſtatur, nequaquam illum boni Chriſtiani officio deſunctum eſſe, qui tantum *ſepties* fratri lædenti offenſam condonare velit: ſed Chriſtiana caritatis legem requirere, ut *ſeptuagies ſepties* remittat. D. Auguſt. hunc numerum ita accipit, quaſi ſignificet tantum ſeptuaginta ſeptem: ut ita poſterior numerus non inferat multiplicationem cum priore, ſed tantum ſit adiectio minoris numeri ad maiorem, quaſi Chriſtus dixiſſet, *ſeptuagies & ſepties*. Sed reliqui Patres, & fere interpretes omnes accipiunt ita, ut ſeptenarius numerus ſit ſeptuagies multiplicandus, quo conſiciat numerum 490. Sed quocunq; modo accipiatur, ſciendum eſt, hic à Chriſto poni numerum certum pro incerto. Et hunc ejuſ diſtiſenſum eſſe: Non poſſe nec debere remiſſionem offenſarum inter Chriſtianos certo numero adſtringi, ſed quotieſcunq; illa petatur, toties eam facile & promte indulgendam eſſe. Sicuti id mox parabola & exemplo cœleſtis ſui Patris docebit.

Interim hic attendendum. 1. De qualibus offenſis & injuriis Chriſtus hic loquatur: nimirum de privatis, quæ incidunt inter fratres, & quarum remiſſio ſita eſt in noſtra poteſtate, ex quibus, ſi condonentur, nullum damnum redundat in alios. Non ergo patrocinaur hæc doctrina Chriſti ſceleratis, facinoroſis, furibus, raptoribus, adulteris, homicidis, & conſimilibus nequitiaſ hominibus, qui interdum adeo perfrictæ frontis ſunt, ut licet contra leges publicas peccarint, tamen adverſus Magiſtratum allegare audens Chriſti doctrinam, quæ præceperit, toties & toties fratri peccanti condonandum eſſe. Sed ſciendum eſt, quod quantam lau-

dem merentur Chriſtiani, ſi privatim offenſi alii aliis, culpam deprecantibus, facile ignoſcant: tanto viciffim vituperio digni ſint illi, qui ad gubernacula Rerumpub. ſedent, ſi malefacta, injurias & petulantiam in publicas leges commiſſam, non dignis ſuppliciis vindicent. Exercet enim Magiſtratus non hominis, ſed Domini iudicium, & quocunq; judicaverit, in ipſum redundabit. 2. Par. 19. v. 6. Eſt Dei vicarius & miniſter Rom. 13. v. 3. Quod ſi ergo Deus impio dicat, morte morieris, & magiſtratus ei vitam donare velit: quomodo hoc coram Deo juſtificabit? Abaltari meo avelles quod hoc coram Domino Ex. 21. v. 14. Et Salomon Prov. 17. v. 15. teſtatur: Deo utrumque abominabile eſſe, & qui juſtificet impium, & qui condēmet iuſtum. Itaque Chriſtus tantum de privatorum offenſis & injuriis hic agit. 2. Simul tamen etiam conſiderandæ ſunt rationes, ob quas Chriſtiani ad condonandas injurias facile ſe præbere debeat. Prima ſit, quia Deus id à nobis requirit, quod ipſemet quotidie erga nos exercet: cujuſ miſericordiæ & condonationis erga nos nullus finiſ eſt, nec modus, ut ex ſequenti parabola patebit. Secunda ſit, quia, ejuſmodi injuriæ ſæpenumero nobis profunt. Vita enim noſtra ipſemet non agnoſcimus: amici quoque plerumque ea erga nos diſſimulant. Deus ergo interdum permittit, ut hoſtium lingua in nos acuantur, quo diſcamus in nobis ipſis ea agnoſcere, quæ ſunt corrigenda. In talibus ergo non homines reſpiciamus, qui nos offendent: ſed Deum, qui id permittit. Id ſi fecerimus, tam facile vindictam ſeponemus, quam facile David id fecit adverſus Simeï, 2. Sam. 16. v. 10. Tertia ſit, quod ipſa neceſſitas talem quotidianam condonationem poſſulat, niſi nobis ipſis vitam hanc inſuavem reddere, ejuſque curſum ante tempus ipſi abrumperere velimus. Vita enim hæc noſtra ita comparata eſt, ut ſit injuriarum plena, & non ſemper ſcientes & volentes, ſed multoties ignorantes & nolentes nos mutuo offēdimus. Qui jam affectibus indulgent, nec reconciliations locum dare volunt, illi perpetua ira & odio aſtuent neceſſe eſt, unde vitam ſibi ipſis inſuavem reddunt, cor proprium excudunt, & valetudini ſuæ plurimum incommodant. Sed beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram, Matth. 5. v. 4. Quarta ratio ſit, quod niſi proximo injurias remittamus, nos ipſos DEO exoſos reddimus, & cœleſtis regni hæreditatem amittēmus: ſicuti in ſequenti parabolaſ applicatione Chriſtus diſerte teſtatur.

Parabola decies mille talentorum.

Servator noſter Jeſus Chriſtus hunc morem & hanc conſuetudinem in miniſterio ſuo obſervavit, ut quando doctrinam aliquam profunde cordibus ſuorum auditorum imprimere voluit, eam non nudis & ſimplicibus verbis proponeret, ſed parabola aliqua veſtiret, quam auditoreſ memoriæ mandare, ſe ad illam examinare, & uſum doctrinaſ notare poſſent, ne verbum Domini fruſtra audiviſſent. Idem etiam in præſentia facit. Docuerat hæcenus ſeſquiannum integrum continue in Galilæa. Et doctrinaſ ſuæ ſummam hiſ tri-

bus capitibus mox initio Matth. 4. v. 17. & Marc. 1. v. 15. comprehendit. 1. Agite pœnitentiam. 2. Crediſte Evangelio. 3. Afferte fructus pœnitentiaſ dignos. Jam ergo galilæaſ valedicturus, & Hieroſolymam ad paſſionem, quæ intra ſeptimeſtre imminebat, abiturus, ejuſdem doctrinaſ ſummam in parabolam colligit, & ita proponit. Scitis conſtitutum eſſe magnum iudicii diem, Act. 17. v. 31. Rom. 14. v. 10. 2. Cor. 5. v. 10. ibi proferentur libri, Dan. 7. v. 10. & cujuſque chirographum, quod eſt propria conſcientia, & cogitationes ſe mutuo accuſantes ac deſenden-

ferentes. Rom. 2. v. 15. Ibi nemo poterit subsistere. Nam pro mille non poterit unum respondere, Job. 9. v. 3. & si Dominus velit iniquitates observare, quis sustinebit. Plal. 130. v. 3. Ideo omnes cum Davide dicere cogemini: non intres Domine in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Pl. 143. v. 2. Quapropter magni beneficii loco habere debetis, quod Deus per concionem legis vos ad poenitentiam invitat, ut peccata vestra agnoscat, de iis doleatis, & de medio cogitetis, quomodo iudicium illud Dei effugere possitis. Hoc discitis ex meo Evangelio, quod vos monet, ut ad misericordiam Dei confugiatis, qui gratuito vobis, ob Messia intercessionem, peccata vestra remittit. Tantum videritis, quales vos impetrata peccatorum remissione geratis, ut nimirum commiseratione ducamini erga conservos vestros, & reliquam etiam vitam professione vestra dignam agatis, alioquin cœlestis meus Pater vos retrahet ad poenam, & vetera delicta cum novis ulciscetur. Est ergo principalis quidem Christi scopus, quod hac parabola vult docere, esse cœlestem Patrem quidem misericordissimum erga peccatores poenitentes: eundem tamen esse, etiam seyerissimum erga eosdem, si nolint vicissim erga peccantes fratres benigni esse. Sed simul etiam summam doctrinae suae valedictionis loco (ut dixi) completi voluit. Et quia Matth. 11. v. 23. Capernaum minatur, quod quæ ad cœlum usque exaltata fuerit, ob doctrinae in ea traditæ fulgorem, ad infernum usque præcipitanda sit, eo quod doctrinae locum non dederit. Ideo, quia nos eandem doctrinam habemus, majori reverentia illi obtemperemus. Nos singulas parabola partes seorsim examinemus.

I. In prima parte Christus monstrat, quomodo Deus nos omnes & singulos ad peccati cognitionem adducat. 1. Dicit nos non nostri esse juris, sed *servos Dei*, tanquam magni Regis. Et hujus Regis servus sumus triplici ratione. Ratione creationis. Nam ipse fecit nos. Pl. 100. v. 3. Ideo Jel. 44. v. 21. Israeli Deus dicit: Servus meus es, servavi te. Ratione redemptionis. Nam magno pretio emi sumus. 1. Cor. 6. v. ult. quia Christus Jesus dedit se ipsum redemptionem pro omnibus. Ratione sanctificationis. Spiritus enim sanctus nos in vineam Domini seu Ecclesiam Christi vocavit, non ut in ea staremus otiosi, multo minus, ut aliquid destrueremus: sed ut laboraremus, pondus & æstum diei portarem. Matth. 20. v. 1. Ita triplici ratione obligati sumus, ut voluntati hujus Domini serviamus, plus quam reliquæ Creaturæ. Ut sicut oculi servorum sunt in manibus dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ in manibus Dominae suæ: ita oculi nostri sint ad Dominum Deum nostrum. Pl. 123. v. 2. Nec quisquam hominum adeo impudens est, ut hoc ita se habere negare audeat. Et tamen quotus quisque est, qui huic summo domino sua servitia fideliter præstet. Siquid Deus præcipit, nos illud omittimus: si quid is prohibet, nos illud facimus. Sumas in manus Decalogum, & juxta eum vitam tuam examines, deprehendes proh dolor nimis verum esse, quod Jacobus Apostolus dixit: in multis labimur omnes Jac. 3. v. 2. Et quia non citò proferatur contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala. Eccl. 8. v. 11. Sed num-

hoc perpetuò durabit? Non. Si enim Deus nos ita securos in peccatis progredi pateretur, tum periremus.

Ideo II. *Simile est regnum calorum regi homini, qui rationem vult conferre cum servis suis.* Quali diceret Christus. In Ecclesia mea in hac vita non est idem status, qualis superius in cœlo, nec qualis inferius in inferno. In cœlo enim sunt meri sancti angeli, & pii in sanctitate & bonitate confirmati: in inferno sunt meri Diaboli & impii damnati. In terra autem & hac vita, sunt peccatores salvandi. Hos vult cœlestis meus Pater ad salutem adducere. Quæ verò ratione id facit? Non sinit eos peccatis suis indormire, sed citat ad rationes reddendas. Nemo hominum est, qui sponte sua se sistat Deo, ut debitum peccatorum suorum dissolvat: sed vel fugiunt cum Adamo, vel negant cum Caino, vel cum Eva foliis ficuum se exornant. Ideo Deus eos ad rationes citat. Nec differt hoc examen, ad mortem usque, aut novissimum iudicium. Tum enim non erit amplius tempus miserendi, sed puniendi. Sed in *regno calorum*, hoc est, in Ecclesia rationes exigit. Instituit enim verbi ministerium, ut per illud Spiritus sanctus mundum de peccato arguat. Joh. 16. v. 8. Et quando Concionatores nos propter peccata nostra reprehendunt, non est otiosum litigium, sed citatio ad regem nostrum, ut maturè de rationibus ipsi reddendis sumus solliciti. Sic citatus est David per Prophetam Nathanem, 2. Sam. 12. v. 7. Sic citati sunt Ninivitar per Jonam. Jon. 3. v. 4.

III. Sed qui securiores sunt, hi hanc citationem negligunt vel contemnunt, tum Rex hic rem eò deducit, ut *servi sibi offerantur*, nimirum per crucem, tentationes, & errores conscientia, excitat in hominibus agnitionem hujus debiti, ut quasi coram tribunali Dei consistentes, se ipsos accusent, & cum D. Bernharo exclament: Ah, perdidit vixi. Quemadmodum enim in humanis judiciis, si quis contumacior ad primam citationem, nolit comparere, tum iudex mittit apparitores & ministros, qui reum vi ad subsellia iudicum pertrahant: ita si quis in Ecclesia nolit audire Mosen, tum habet Deus morbos, pestem, bella, & alias calamitates, quibus cor hominis tangitur, ut ad agnitionem sui debiti & iustæ iræ Dei descendat. Sicuti David in Plal. 39. v. 12. conqueritur: A fortitudine manus tuæ ego defeci, in increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem: & tabescere fecisti sicut araneam animam ejus.

Ibi tum enim IV. incipit homo agnoscere, quòd debeat Deo suo *decem millia talentorum*, hoc est, tantam summam, cui solvendo ipse in aeternum non sufficiat. Talentum enim Atticum, juxta Budæi & vulgarem æstimationem, valet 600. coronatos. Hi per *decem millia* multiplicati, conficiunt summam sexagies centenorum millium coronatorum: seu, ut vulgo loquuntur, sex milliones auri, quæ summa ultra sexaginta auri thonnas excurrit. Ut autem nulli servo possibile est, ut tantam summam hero suo solvat, utpote qui jam ante seipsum & sua omnia ipsi debeat: ita Christus hac forma loquendi utitur, ut agnoscamus debitum peccatorum nostrorum, adversus Decalogum nobis à Deo præscriptum, longè majus esse, quàm ut nos illud dissolvere queamus. Multis enim & variis, adeoque gravibus modis,

modis omnes delinquimus in Decalogum, modo cogitationibus occultis, mox verbis apertis, tum gravibus factis, denique turpi omissione & neglectu eorum, quæ erant facienda. Sic omnes nobis thesaurizamus iram in diem iræ & revelationis iusti iudicii Dei. Rom. 2. v. 5. Itaque per *decem millia* multitudo, per *talenta* magnitudo nostrorum peccatorum, & in legem Dei commissorum, designatur. Ut tantò turpior & magis execranda sit prophana Monachorum & Monialium superbia, qui se tantum bonorum operum thesaurum & cumulum habere professi sunt, ut ex eo non tantum ipsi sempiternæ beatitudinis hæreditatem se adire posse sperent, sed etiam aliis supererogare, & aliquid ad impetrandam peccatorum remissionem elargiri. Verè sunt Supereructationis opera, quibus cæci isti homines, qui siccâ ebrietate suâ errant, suos ructus & vomitus, quibus omnes mensas Ecclesiæ suillis suis sordibus repleverunt, Esa. 28. v. 8. coram Deo tanquam bona opera venditare audent, ipsi cum Achabo tantum venundati, ut faciant malum in conspectu Domini. 1. Reg. 21. v. 20.

Porro 5. quando tanta debiti summa invenitur, non protinus dicit Rex: Dimitte miserum hominicionem: non enim est solvendo. Sed jubet Dominus *ipsum venundari, & uxorem ejus, & liberos, & omnia, que habebat, ac fieri solutionem.* Loquitur juxta morem tum temporis usitatum, quo debitores, qui non erant solvendo, vel vendebantur, vel in carcerem mittebantur, vel etiam, si pluribus debebant, in partes secabantur, & cuius Creditori una tradebatur. Juxta illud, qui non habet in ære, luat corpore. Sic Deus suos debitores non statim manumittit, sed cum ipsis agit juxta illud Pauli Rom. 2. v. 9. Ira & indignatio, tribulatio & angustia, in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum & Græci. *Vendit* ergo eos, hoc est, quasi à se alienatos rejicit, penitus in alienam potestatem tradit, ut, quemadmodum mancipia, cum venduntur, in alienum jus & arbitrium prorsus traduntur: ita qui Dei servi esse debebant, postea Satanæ mancipia fiant, à quo immensum tribulantur, donec ad veram sui mali agnitionem deducantur. Hujus venditionis seu traditionis in Scriptura exempla habemus, tum de corporali, tum de spiritali vita. Deut. 32. v. 30. Quomodo persequitur unus hostis mille Israelitas, & duo fugant decem millia ipsorum? Nonne ideo, quia Deus eorum *vendit* eos, & Dominus conclusit seu tradidit illos? Jud. 2. v. 14. & 3. v. 8. Iratus Dominus *vendit* populum suum hostibus per circuitum. Psal. 44. v. 13. conqueritur Ecclesia: *vendidisti* populum tuum sine pretio: & non fuit multitudo in commutationibus eorum. Esa. 50. v. 1. Ecce propter iniquitates vestras *venditi estis*, & propter scelera abjecta est mater vestra. Sic quoad spirituale vitam audivimus modò de Achabo, quomodo venundatus fuerit sub peccatum. Et v. 25. additur: non fuit talis alter, sicut Achab, qui *venundatus est*, ut faceret malum in conspectu Domini. Et ipse Paulus Rom. 7. v. 14. conqueritur, se *venundatum esse* sub peccatum originale, ut cogatur ea mala facere, quæ nolit. Est revera hæc *venditio* piis tam dura & acerba, ut quotidie ingemiscant liberari ab hac servitute corruptionis, & transferri in libertatem gloriæ filiorum Dei. Rom. 8. v. 21. Et

hæc est prima pars parabolæ, qua Christus docet, quomodo cœlestis Pater nos deducat ad agnitionem nostrorum peccatorum, ut seria *reservetur* sequatur.

Ex hac prima parte etiam hæc sequentia membra elicere possumus. 1. Non licere cuivis in Ecclesia pro suo libitu vivere: sed velle Deum, ut quisque suam vitam juxta præscriptam regulam Decalogi instituat, ne contra eam peccando grave debitum coram Deo contrahat. Ideo Deus habet in communi vita primum parentes, quiliberos & familiam in œconomia regere debent: deinde magistratum, qui idem faciat in politica, erga subditos: denique verbi ministros, qui in Ecclesia ex verbo Dei omnibus peccata sua consideranda proponere debent. Male autem vivitur, quando liberi parentibus, subditi magistratui, auditores concionatoribus repugnant. 2. Inprimis autem hinc discamus, quod in Ecclesia tam non possimus carere illa parte muneris Ecclesiastici, quæ arguit peccata, quam in œconomia non possumus carere pane quotidiano. Qui peccata sua argui nolit, is exeat ex *regno calorum* in mundo, & transeat in regnum cœlorum alterius seculi, hoc est, ex cœlo tam naturæ quam gratiæ, in cœlum gloriæ. In hoc mundo nemo ferè sponte sua agnoscit peccata: imo vix aliorum admonitionibus ad eorum agnitionem adigi possumus. Ideo Deus ordinavit ministerium, & in eo conjunxit inde ab initio Legem & Evangelium, tum scripto, tum *predicando*. Et magni beneficii loco æstimemus, quod peccatorum redargutionem Deus non differt usque ad magnum diem iudicii. Ibi enim nullus amplius misericordiæ erit locus. 3. Denique etiam videmus, unde eveniat, quod Deus interdum aliquos duriter tractet, quoad corpus, conjugem, liberos. Deus per verbum nobis proponit agnitionem peccati. Eam quidem utcumque apprehendimus: sed, bone Deus, quam frigide. Quotidie sanè dicimus in oratione Dominica: Remitte nobis debita nostra. Sed quoties os verba hæc loquitur, corde interim cogitationibus peregrinante? Venit ergo Deus, & immittit crucem, vel in proprio corpore, vel in iis, qui sunt nobis chariores nobis ipsis. Ibi flebiliter clamamus ad Dominum, Es. 26. v. 16. *offerimus* nos ipsos, nos vitam emendaturos, nos *omnia soluturos*. Quando igitur talia adversa ingruunt, agnoscamus ex iis, nos *regni calorum*, vel Ecclesiæ, esse membra, & hæc nobis immitti ad nostri emendationem. Alias enim peccatum nostrum in nobis dormit, ut in Caino. Gen. 4. v. 7. imò Paulo teste Rom. 7. v. 8. peccatum sine lege in nobis mortuum est. Ut ergo reviviscat, & nos agnoscamus nos peccasse, Deus nos per crucem excitat.

II. In secunda parte docet nos Christus, quomodo ab agnitis peccatis liberari possimus. 1. Servus de debito admonitus, non jocum esse ducit hanc exactionem: sed terretur, humiliat se, *procidit & adorat Dominum*, agnoscens justè ipsum sibi irasci, & debitum exigere. Quid enim faceret? Negare debitum non ausus est, siquidem rationibus productis ad oculum convinci potuit. Sic ergo & nos de peccatis admoniti, non rideamus, non jocemur. Nemo in eo jurret: Deus non irridetur: Galat. 6. vers. 7. sed legis citationem admittamus,

tamus, nos Deo per seriam agnitionem sistamus, lapsus, nostros non negemus, non excusamus, sed ingenuè fateamur, & cum Davide dicamus: 2. Sam. 12. v. 13. Peccavi Domino. Et cum filio prodigo: Luc. 15. v. 18. Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. Quid enim negemus? Si nos ipsos in ratiocinario Dei & speculo Legis diligentius contemplati fuerimus, mox ipsi agnosceremus, quam deperditi homines simus. Chirographum legis est nobis contrarium, Coloss. 2. v. 14. Hinc David fatetur in Psal. 32. v. 3. quod cum taceret, & peccatum suum celare vellet, inveterata sint ossa ipsius, & manus Dei die ac nocte gravata fuerit super ipsum. Proinde se delictum suum Deo cognitum fecisse, nec injustitiam suam abscondisse. Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei. Ergo ingenua peccatorum agnitione atque confessio requiritur, si ab ipsis liberari velimus.

2. Addit servus: esto patiens, omnia tibi reddam. Hæc est vulgaris obaratorum levitas, quod non pœdet eos polliceri, quæ se nunquam præstituros esse ipsi sciunt. Idem error natura nobis omnibus inhaeret, quod volumus stabilire nostram justitiam, & justitiæ Dei nolumus subjici, Rom. 10. v. 3. Querimus nostris operibus Deo satisfacere pro peccatis. Nec sufficit nobis in eo Decalogus: offerimus nos ipsos ad majora. Pollicitis divites sumus, sicuti Judæi Exod. 19. v. 8. Cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus. Sed ð nos miseros, qui multum promittimus, & nihil præstare possumus. Nam in angustia nescimus, quid & quomodo orare debeamus, sicut oportet. Roman. 8. vers. 26. Si verò Domini Spiritus nos informet, tum nos docet, ut cum Davide & omnibus Sanctis sic oremus: Domine, delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Psal. 25. vers. 7. Nam si tu Domine iniquitates observaris, Domine quis sustinebit? Psal. 130. v. 3. Quapropter, mi Domine, non intres in iudicium tuum cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Psal. 143. v. 2. Hæc est vera *πενιτησις*, quæ coram Deo proci-dere, eumque adorare debemus. Nam si quis in ea opinione perseverat, quod ipse velit debitum suum dissolvere, & pro suis peccatis satisfacere, is perit in æternum. Nam quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, Galat. 3. v. 3. Et si quis totam legem servasset, in uno autem offenderet, is omnium factus est reus, Jacob. 2. v. 10. Atqui in multis offendimus omnes, Jacob. 3. v. 2. Quomodo ergo nos ad solutionem offerre possumus?

3. Sed Christus hoc loco aliam viam ostendit, quæ à peccatis liberari possimus, non viam nostræ solutionis, sed gratiæ remissionis. Nam dicit: *Miseratus Dominus servi, absolvit eum, & as alienum remisit ei.* Duplex beneficium. Quia enim jam vincus erat abducendus ad venditionem, omnino absolute & dimissione ipsi opus erat. Rursus, illa ut dimissio ipsum securum redderet, remissione debiti opus erat. Eodem modo Deus nobiscum agit, qui nobis remittit iniquitates nostras, & duplicia retribuit pro peccatis nostris.

Harm. Tom. I.

Jesa. 40. v. 2. Nam 1. nos vinculis peccati & corruptæ naturæ in spirituali vita (ut in primo membro diximus) constrictos dimittit, & libertate donat. 2. Peccata ipsa liberaliter dimittit & condonat, ne eorum conscientia constricti per omnem vitam anxii & incerti detineamur. Gratiâ ergo salvamur & à peccatis liberamur: per fidem, non ex operibus, ne quis gloriatur, Eph. 2. v. 8. Nam ei qui non operatur, credit autem in eum qui justificat impium, illi fides reputatur ad justitiam, Rom. 4. v. 5. Gratiâ autem, ut recte Augustinus ex Rom. 11. v. 6. monet, non esset gratia ullo modo, si non esset gratuita omni modo. Netamen quis cum veteribus hæreticis, Cerdone & aliis, qui circa annum Christi 150. Ecclesiam turbaverunt, statuât Deum animum suum mutasse, ut qui in veteri Testamento, in diluvio, Sodomis, Benjamitis, & aliis iratus fuerit: nunc verò in Novo Testamento adeo lenis sit, ut peccata non curet, nec irascatur, sed quemque secundum suam voluntatem vivere permittat, sciendum, respectu quidem nostri gratiam esse remissionem: respectu verò Christi esse magno pretio comparatam redemptionem. Neque enim Deus legem suam abjicere, aut debitum remittere potuit, nisi prius ultimus apex legis adimpletus & persolutus esset. Matth. 5. vers. 17. Nobis ergo est gratuitum & precarium, quod Redemptorem nostrum, filium Dei charæ constitit. Is enim animam suam redemptionem dedit pro multis: Matth. cap. 20. vers. 28. ipse disciplinam pacis in se recepit, Jesa. 53. v. 5. & chirographum legis, quod nobis contrarium erat, de medio sustulit, affigens illud cruci. Coloss. 2. v. 14. sicque sanguinis & mortis suæ merito pro peccatis nostris satisfecit.

Ex hac secunda parabola parte addiscimus veram justificandi rationem. Ea talis est, ut in ipsa concurrant omnes tres Symboli nostri Apostolici articuli. Pater peccata remittit ex misericordia: Filius pro peccatis satisfecit suo *λύγω* & merito: Spiritus sanctus per verbum nobis peccatorum remissionem annunciat, & per Sacramenta eam applicat. Hic nullæ aliæ nostræ sunt partes, quàm quod filium Dei servare facimus in peccatis nostris, & laborare in iniquitatibus nostris. Ipse autem, ipse delet iniquitates nostras propter se, & non recordatur peccatorum nostrorum, Jesa. 43. vers. 24. Hæc adeo plana sunt, ut prodigii instar sit, Jesuitas cum Tridentino suo Concilio nova effugia quarere: & concedere quidem, partem aliquam peccatorum gratis remitti, partem autem reliquam satisfactionibus aboleri debere. Quasi verò non hic Rex dicat: *πίσαντιν ὀφειλῶν, totum debitum remisit tibi.* Si totum dimisit, quid ergo nobis restat persolvendum? Et in Veteri Testamento Messias disertè dixit, Jesa. 63. vers. 1. Torcular ego calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum. Ut igitur totam hanc doctrinam in unam summam contrahamus, sciendum in Scriptura, & præsertim etiam hac parabola, triplicem justitiam, inveniri. Unam *affectatam* Phariseorum, Monachorum & Justitiariorum, qui cum hoc servo profitentur, se pro omnibus satisfacturos. Alteram *imputatam*, ut cum hic Rex gratis

gratis seruo dimittit *totum debitum*. Gratis quidem respectu serui, sed pretiosum respectu ejus, qui suo merito impetravit, ut in se credentibus peccata remitterentur. Tertiam *inchoatam*, ut si hic seruus patientiam habuisset, prout Christianos decet, erga suum conservum, tum justus fuisset: Quia ergo triplex est justitia, quaritur, quam valeat coram Deo? Resp. Prima coram Deo est abominatio, quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum, Luc. 16. v. 15. Et nisi abundaverit justitia nostra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabimus in regnum celorum, Matth. 5. v. 20. Postrema justitia necessario quidem requiritur, sed quia tantum est inchoata, nec quicquam in ea perfecti, etiam non valet coram Deo. Nam quasi pannus menstruatus sunt omnes justitiae, Jof. 64. v. 6. Itaque media tantum valet, quae singulis credentibus in absolutione applicatur, quando minister loco Dei aliquem absolvit à peccato. Et quicquid is solvit in terris, id etiam solutum est in caelis, Matt. 18. v. 18. Quisque igitur absolutionem peccatorum à ministro petiturus tantam formidine & trepidatione eum accedere debebat, ac si ante Dei tribunal staret auditurus, an absolvendus, an condemnandus esset. Sed nimium frigide hoc quoque à nobis peragitur, cum tamen ad avértendos gehennae dolores magno serio res sit peragenda. Si integri anni dolores, sive podagrae, tibi Medici minitarentur, bone Deus, quam sollicitus esses, quomodo eos avertere posses! At unus dies gehennae, nisi per hanc Justificationis doctrinam ex ea eximaris, intolerabilior erit, quam si centum annis integris in ferventi oleo sudare & omnes cruciatus sustinere cogereris. Discamus ergo misericordiam caelestis Patris, meritum Filii, & gratiam Spiritus sancti, qua ab intolerabili illo malo praeservamur, magni facere.

III. In tertia parte Christus communem hominum malitiam arguit, qua sese erga suos conservos immites praebent, sicque gratia semel adepta rursus excidunt. Videamus hunc servum. 1. *Egreditur à suo Domino*, absque dubio latissimus, quod gratiam adeo insperatam consecutus fuisset: nec fuit ejus propositum, quod regem suum denuò offendere velit. Eadem est nostri ratio. Si singuli statim post acceptam peccatorum remissionem moremur, verè beati essemus. Sed quando *egredimur à Domino*, facillimè fieri potest, ut denuò labamur. *Egredimur* autem bifariam. Una vice, quando corpore conversamur cum hominibus: altera, quando animo divertimus à Deo. Quando corpore ad conversationem hominum egredimur, operam dare debemus, ut semper animo & cogitationibus in Deum simus intenti, ut consideratione ejus bonitatis erga nos, vicissim induamus, sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem & donantes nobismet ipsis, si quis ad versus aliquem habet querelam. Sicut & Dominus donavit nobis: ita & nos. Col. 3. v. 12. Quando verò hujus obliti, etiam animo eximus à Deo, nec ipsum per verbum nobis loquentem nos in officio continere patimur, tum actum est de nobis. Omnis enim mali causa est, quando *egredimur* à Deo, nec cum ipso manemus, Joh. 13. v. 30. Judas accepta bucella à Chri-

sto, exivit continuo. Exivit, nec unquam rediit, factus proditor, dux latronum, & proprii corporis homicida. Maneamus itaque apud Deum & in ipsius domo, Ecclesia, sic multas peccandi occasiones devitabimus. 2. Egrediens itaque hic servus, incidit in quendam suum conservum, qui *debebat ei centum denarios*. Egregia verò summa ad priorem collata. *Centum denarii*, si ad calculum nostrae monetae revocentur, conficiunt summam paulò majorem, quam sedecim florenorum nostratum. Quid verò sedecim floreni ad sexagies mille coronatos? Hic ergò servus ille, qui in posterum in ardentissima gratitudine erga suum herum, & amore erga conservos vivere debuisset, incidens in hunc suum debitorem, inhumanissimè eum tractat, & absque omni misericordia solutionem confestim & sine mora fieri postulat. Nam 1. ex improvviso illum adorsus, duriter compellat, *solve quod debes*. 2. Ipse *manum injicit* in suum conservum, quod herus ipsi non fecerat, sed per alios vendi jusserat. 3. Malè tractat, *obtorio collo trabens*. Nam *zvizyew* est suffocare aliquem. Transgularit itaque ipsius collum, quod extrema inhumanitatis signum est. 4. Deprecantem, & quidem isdem verbis, quibus ipse ad herum suum usus fuerat, non audit, sed spernit. Quod indicio est, ipsum jam oblitum esse angustiae, in qua paulò ante constitutus fuerat. 5. Vinculis mancipat conservum, ut non inde egrediatur, *donec reddat debitum*. Sic verò invadit bona sui domini, in quae ipsi nullum jus concessum erat. Et licet id per magistratum fecerit: (ipse enim non proprium carcerem habuit, sed à magistratu eum impetravit) tamen contra regem tanquam superiorem peccavit, absque cujus consensu tantam inhumanitatem nequaquam exercere debuisset.

In hac verò parabola parte, tanquam in imagine nobis Christus adumbrare voluit, quid etiam in Ecclesia fieri soleat, si homines affectibus carnis indulgeant. Primò obliti gratiae Dei, quam quotidie sentiunt, inhumaniter, imò hostiliter tractant, quos tanquam conservos vel fratres amare debebant. 2. Surdi simul sunt & caeci: quia neque audiunt proximum deprecantem, neque vident, quid secum futurum sit, si Deus pari jure cum ipsis agere velit. 3. Injuriosi insuper sunt in talium conjuges & liberos: adde, quod quidam iracundiae nimium tenaces, etiam in posteris ulciscuntur injuriam ab aliis acceptam. Christus ergo vult, ut inhumanitatem omnem libenter deponamus, acceptas etiam injurias libenter condonemus. Quid enim sunt injuriae, quae homines interdum nobis faciunt? Si multum nos laedant, damnum afferunt vel opibus vel existimationi, vel corpori nostro, quod damnum facile resarciri potest. At nos quotidie in Deum ea designamus, quae non nisi sanguine & morte filii Dei expiari potuerunt.

Hanc doctrinam Anabaptistae nimium extendunt, & dicunt, judicia hic à Christo tolli. Si verò hoc ipsis concederetur, mox confusio omnium rerum, imò eversio mundi sequeretur. Quin & multi boni hac doctrinà turbantur, qui non libenter coram Jure litigant: & tamen ob importunitatem adversarii superfedere non possunt. Hi subinde metuunt, ne litigando remissionem peccatorum amittant. hic ergo inquirendum, an Chri-

an Christus iudicia damnet? an prohibeat, ne quis coram mundano iudice jus suum exequatur? Hic respondeo. Minimè: Nam agit Christus hic de regno caelorum; non autem de ordine Magistratus. Et proinde hujus leges & iudicia non tollit. Sed de eo hic conqueritur Christus, quod in iudiciis saepenumero charitas violetur, non tantum quando injustè agimus, sed etiam quando quis jure suo utitur, sed nimium strictè & sine omni misericordia. Jure consilium quidem in suo foro dicunt: Qui suo jure utitur, nemini facit injuriam. Sed Christus in Ecclesia dicit: Misericordia abundet super iudicium. Iudicium enim sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam; Jacob. 2. v. 13. Vulgo etiam dicitur, & quidem verè: Summum jus, summa injuria. Potest ergo Christianus uti iudiciis, & possunt iudicia rectè pronuntiare. Sed ille, pro quo est pronuntiatum, viderit, ut jure suo rectè utatur, non nimis rigidè, sed cum charitate & misericordia. Hinc desumpsit Paulus suam regulam, 1. Corinth. 6. v. 7. Christianorum esse potius injuriam ferre, & damnum accipere, quam charitatem lædere. Si quis malitiose te divexerit, & in jus trahat: magistratus autem pro te pronuntiet, tum jure tuo utere. Sed si reus deprecatur, roget patientiam, pollicetur restitutionem, offerat tolerabilia media, tum actor non nimis rigidè jus suum urgeat. Civiliter quidem nemo eo nomine culpatur. Sed in Ecclesia, dicit Christus, veniunt conservi, & rem deferunt ad Dominum. Hic quidem servus potest prætere de jus suum: atqui tamen debet mihi centum denarios. Verum quid Dominus? Si ego, dicit, ita rigidè tecum egissem, quid tibi accidisset? Quia ergo contristas Spiritum, & charitatem violas, amittis etiam fidem & priorem peccatorum remissionem, sicuti mox audiemus. Et in his omnibus saepenumero Advocati & Procuratores multum boni præstare possunt, si vellent. Ipsorum enim officium est, ut partibus litigantibus maturè indicent, quid sit juris; & ne nimis procul litigando abeant. Et pii causarum patroni hoc faciunt. Si qui autem tantum privati sui commodi causa lites ex litib. serunt, & partes ad contentiones instigant: Væ illis litigatoribus! Tales litigantes conferri possunt cum mendicis cæcis, quos canis ducit. Canis videt os, ad illud properat, ut illud rolat: interim ad præcipitium adducit cæcum. Sic isti canes curiæ quarunt, quod rodant, & quo suam culinam suumque focum lucidiorem reddant: interim partes litigantes adducunt ad præcipitium animæ suæ. Quapropter si omnino læsus es à proximo, ut ille factus sit tuus debitor, non nimis profundas radices ira intromitte in cor tuum: sed quando ille te rogat, ad te mittit, culpam deprecatur, tum condona propter Deum, & recordare, quod DEUS tibi longe plura donarit, cave, ne donum illud rursus excutias, sicut jam dicitur.

IV. In quarta parabola parte docet Christus, quomodo illi, qui misericordia Dei abutuntur, nec consimilem misericordiam erga proximum delinquentem exercent, gratia Dei excidere, & remissionem peccatorum rursus amittere possint. Dicit enim Christus, 1. Cum vidissent conservi quæ sebant, indoluerunt valde, venerunt & ape-

ruerunt Domino suo omnia, quæ facta fuerant. Hæc αὐθροσπνοαδῶς de Deo dicuntur. Ipse enim non indiget nunciis, ut mundani reges, qui ad ipsum referant, quæ in terris inter homines fiunt. Oculi enim Domini discurrunt universam terram, Zachar. 4. v. 10. ita ut omnia ipse præsens videat & norit. Et tamen nihilominus inhumani isti multos habent adversarios, qui ipsos coram Deo ob inhumanitatem istam accusant. Quinam sunt illi conservi? Aliqui interpretantur angelos. Hi enim ipsi Apoc. 19. v. 10. se conservos nostros nominant. Nec dubium: quia hi quotidie vident faciem cœlestis Patris, prout Christus in præcedenti concione docuit, quin ibi referant, quid in terris viderint. Sicuti Satanæ, Job. 1. v. 9. in cœlis refert, quid in terris fiat cum Jobo. Sed possumus etiam intelligere alios homines, qui videntes immanem duritiem aliorum, de ea gemunt, eamque coram Deo & hominibus culpant. Sed hic excipiunt aliqui: Quid ad alios, quod ego facio? Ego persequor jus meum, quod alius mihi non intervertet. Hic respondet Christus. Tu homo, quisquis es, noville debes, publicas præces, & publicam maledictionem hominum, utrumque magnæ esse efficaciam coram Deo. Et experientia docet, talem communem hominum maledictionem nunquam in vanum cadere. Quando enim homo reus ejus est oblitus, tum demum evigilat Dei ultio. Quin & per conservos intelligere possumus illorum clamores & gemitus, qui læsi sunt: hos revera Deus exaudit, & propter illos vindictam parat, ut patet Syr. 3. v. 16. Cum enim Deus sit charitas, 1. Joh. 4. v. 16. quomodo non irascetur, si quos injustè affligi videat.

2. Sed quid porro factum? Rex secunda vice accessit servum istum, & gravissimè cum eo expostulavit. *Serve scelestè.* Ego bonæ frugis servum te esse volebam, & propterea maximum illud debitum, cui non eras solvendo, estis tu cum uxore & liberis omnibus fuisses venundatus, tibi remissi. Sed video te esse servum nequam, qui noluisse misereri conservi tui, sicut ego miserus eram tui. An non enim hæc est magna pravitas, quod me inscio tam dura statuerè ausus fuisti in conservum tuum? Potius meæ misericordiæ exemplum imitari, quàm tuæ iniquissimæ cupiditati indulgere debuisses. Tribuit ergo hic herus huic suo servo Epitheton, quod in Scriptura sceleratis tribui solet. *ἄδελφονηγε, servus nequam.* Gen. 28. v. 8. Idololatricæ filia Chanaan dicuntur *πηγῶν* in oculis Isaac, quæ ipsi molestæ essent, & quas videre non poterat. Joab quoque 1. Sam. 3. v. ult. eum occidisset Abnerum, à Davide dicitur fecisse *πηγῶν*. Ps. 5. v. 5. *πηγευόων*. correspondet Hebræo *ער* quod malum per omnia significat. Jes. 35. vers. pen. *πηγῶν ἡμεῶν* dicuntur nocentes bestia, quæ violentiam in alias exercent, & respondet Hebræo *פיר*, quod significat raptorem & latronem. Talis *פיר* perverfus & malus lacro fuit hic servus nequam.

Cumque rectè dixerit David, *ἀνταποδῶ κίρι* τῶ πινῶτι πονηρὰ κατὰ τὴν κακίαν αὐτοῦ, retribuet Dominus facienti malum juxta malitiam suam. Ideo jam Rex 3. sententiam profert, & jubet eum tradi tortoribus. *Βασανισαί*, dicuntur exploratores, qui per tormenta veritatem eliciunt ex malefi-

maleficis : inde transfertur ad omnes tortores. Tortores autem isti sunt diaboli, quorum ministerio Deus utitur in inferno, in puniendis suis hostibus, pœnitere nesciis. His traditus est, quoad usq. redderet totum debitum. Quod non ita accipiendum est, quasi peccata nostra certis pœnis expiari possent, quibus exactis postea damnati liberarentur. Sicuti Pontificii huic & similibus locis fictitium suum Purgatorium superstruunt: quem fingunt esse carcerem, in quo defunctorum animæ ad certum tempus pro peccatis commissis satisfaciunt, quo superato tandem ad beatam immortalitatis sedes transferantur. Sed falsum hoc est. Peccati pœna est æterna mors, quæ est perpetua abalienatio totius hominis à Deo & regno ipsius: ubi peccator ejicietur in tenebras exteriores, in quibus est fletus & stridor dentium. Matth. 24. v. 5. 1. & 25. v. 30. Vult ergo Christus simpliciter dicere: Eos, qui fratribus rogantibus offensas remittere nolint, sempiternis inferorum tormentis excrucianos fore. Vide etiam de hac phrasi Har. cap. 5. 1. peric. 3.

Tandem subjicit Servator ipse conclusionem & applicationem parabola: Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis suo quisq. fratri ex cordibus vestris delicta illorum. In hac brevi conclusione multa sunt comprehensa, quæ ad præsentem hanc materiam faciunt. 1. Docet, quisnam debeat injurias sibi factas remittere, *exas. q. quisque*, omnes & singuli, qui se Christi discipulos esse profitentur. Magnates semper querunt privilegium, sibi que ipsi persuadent, quod plebejos pro libitu vexare audent: & si quando ipsi sint læsi, quod nemini offensam remittere debeant. Sed Christus dicit *quisque*, hoc est, cujuscumque ordinis vel conditionis, sive nobilis, sive plebejus, sive herus, sive servus, sive dives, sive pauper. 2. Cui remittere debet? *Quisque fratri suo*. Juxta parabolam dixisse debuisset, *conservo suo*, sed fortius urgere vult illo titulo, quia fratres sumus ejusdem cœlestis Patris. Quia ergo cœlestis Patris æternus filius nos miseros & humiles non fastidivit, quod minus nos sibi fratres adscisceret: neque nos illos fratres contemnere debemus, quod minus in fraternâ charitate cum ipsis vivamus. 3. Quid ergo remittere debemus? *Delicta eorum, παραπτώματα*. Distinguere volunt quidam inter *ἁμαρτήματα* & *ἀμαρτίας*, sicut & ipse Hieronymus facit in: 2. cap. Eph. Et *ἁμαρτήματα* statuit quasi quædam initia peccatorum, cum cogitatio tacita subrepat; & aliqua parte conniventibus nobis nos ad ruinam impellit. *Ἀμαρτίας* autem esse, cum quid opere consummatum pervenit ad finem. Sed hac distinctione hoc in loco opus non est. Siquidem in prima propositione Petrus ponit verbum *ἐάν ἀμαρτήσῃ*, & Christus hic in conclusione vocabulum *ἁμαρτήματα*. Indefinitè itaque Christus hoc intelligit, & fratri condonari vult, omne id, quocumque is nos offendit. Qualecunque enim illud sit, nullo tamen modo conferri potest cum eo, quo nos Deum offendimus: multo minus, quam centum denarii cum decem mille talentis. 4. Quomodo remissio fieri debet? *Ex cordibus vestris*, non verbis, non simulato animo. Sed ut nos invicem diligere debemus non verbo, neque lingua, sed opere & veritate, 1. Joh. 3. v. 18. ita etiam verè & seriò recon-

ciliari debemus cum iis, qui nos verbo vel facto offenderant. Arguenda est itaque istorum durities, qui diu multumque rogati vel tandem animum suum ita declarant, quòd offendenti velint offensam remittere, sed injuriæ acceptæ per omnem vitam non oblivisci, nec eum, à quo offensus sunt: in suum conspectum admittere. Hoc cum Christi doctrinâ nullo modo convenit. Is inter suos, quando post acceptam offensam reconciliantur, perpetuam *ἀμνηστίαν* sanciri vult. Quemadmodum enim Deus, quando nos per pœnitentiam ipsi reconciliamur, ita nostri miseretur, ut deponat iniquitates nostras, & projiciat omnia peccata nostra in profundum maris: Mich. 7. v. 19. ita nos cum fratre consimili modo in gratiam redire debemus, ut nulla cicatrix rancoris in residuo maneat. Valde enim turpe est, ut Syracides prolixè de eo differat, cap. 28. v. 1. & deinceps, si homo homini iram refervet, & à Deo misericordiam quaerat.

Ex hac quarta parabola parte discimus, errare illos, qui statuunt, gratiam Dei non amplius amitti posse, utcumque homo contra conscientiam peccet. Esse enim dona Dei, juxta Pauli doctrinam Rom. 11. v. 29. *ἀμεταμέλητα*, hoc est, talia, quorum ipsum pœnitere nequeat. Verum hoc est, si in fide & pœnitentia perseveremus, aut ut Paulus dicit 1. Tim. 1. v. 19. si bonam militiam militemus, si dem & bonam conscientiam retineamus. Sin hæc exequiamur, videmus in hac parabola, hunc servum 1. accusari à conservis: 2. Citari à Domino: 3. vocari servum nequam: 4. Dominum ipsi irasci: 5. judicium de eo ferri sine misericordia: 6. tandem tortoribus tradi ad æternam interfectionem. Ergo non potest tantum quis amittere Dei gratiam, sed etiam juxta Christi verbum, Luc 11. v. 26. & Petri 2. Epist. c. 2. v. 20. posteriora deteriora sunt prioribus. Sicuti id præsentem exemplo ad oculum videmus. Prius tantum poscebatur servus ad rationem; nunc Dominus ipsi iratus est. Prius jubebatur vendi: nunc traditur tortoribus. Ergo non patiemur nos à vera sententia abduci illorum disputationibus, qui dicunt, semel vocatos, regeneratos, justificatos, non amplius posse excidere gratia Dei, aut non verè à Deo vocatos, justificatos, vel regeneratos fuisse. Et hæc faciunt tantum in eum finem, ut falsam & impiam suam de electione doctrinam tueantur. Sed nos sciamus, hanc doctrinam etiam in aliis Scripturæ locis fundatam esse. Luc. 8. v. 12. diabolus aufert verbum de corde ipsorum. Luc. 11. v. 26. Satanæ redit, & assumit septem spiritus se nequiores, & ingressi habitant ibi. Rom. 11. v. 19. noli gloriari & dicere: fracti sunt ramus, ut Ego inserar. Illi propter incredulitatem fracti sunt: tu autem fide stas: vide ne Deus, qui naturalibus ramis non pepercit, fortè nec tibi parcat. 1. Cor. 10. v. 12. Qui existimat stare, videat ne cadat. 2. Cor. 6. v. 14. Nolite jugum ducere cum infidelibus: quæ enim conventio Christi ad Belial? Phil. 2. v. 12. Charissimi, cum metu & tremore vestram salutem operemini. Heb. 10. v. 26. Voluntariè peccantibus, non relinquitur hostia pro peccatis, sed terribilis expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Constat itaque ex his, peccatorum remissionem, semel acceptam, rursus amitti posse.

Simul tamen etiam illud attendendum, per quæ

quæ peccata quis remissionem peccatorum acceptam rursus amittere possit. Christus Hebræorum more ponit unam speciem, & sub ea totum genus omnium peccatorum contra conscientiam militantium intelligi vult. Vulgò quatuor hujusmodi peccatorum genera ponunt, ob quæ pristina culpa reverti, & absolutio peccatorum data revocari solent. Illa memoriæ causa huic disticho sunt inclusa.

*Frater odit, Apostata sit, Spernitq; faceri,
Penitisse piger, pristina culpa redit.*

Et quidem, quod per hæresin & abnegationem gratiæ fidei quis Dei gratiam amittere possit, Paulus 1. Tim. 1. v. 20. exemplo Hymenæi & Alexandri docet. De securitate & coinquinationibus hujus mundi Petrus agit, 2. Epist. 2. v. 20. Sed Paulus adseribit hoc in genere peccatis contra conscientiam. Rom. 8. v. 13. dicit Romanis, jam conversis & justificatis: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Idem Galatis dicit, cap. 5. v. 21. quod si operibus hanc opinionem fovent & statuunt: Fidem quidem initio remissionem peccatorum accipere, sed ut ad finem perseveremus, illud nostris operibus acceptum ferri debere. Atque sic inter fidem & opera nostram salutem partiuntur. Sed errant hi. Nam Paulus Rom. 5. v. ult. disertè dicit: Gratia Dei vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro. Et D. Petrus alter Apostolorum princeps 1. Epist. 1. v. 5. qui virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in novissimo tempore. Fides ergò, ut apprehendit salutem: ita eandem, si vera fides est, retinet: sin eam amittit, tum emoritur. Per fidem ergò vivam & veram salus apprehenditur: eadem si emoriatur, eam amittit. Nam vera fides, si consideret, Deum tot talentorum millia sibi remittere, omnino ita cogitare debet, si cœlestis Pater adeo indulgens est erga me, omnino ego tanquam filius ejus exemplum imitando, non minus indulgens esse debeo erga meum confratrem. Hoc quando fides non cogitat, tum vel est amissa vel mortua. Ergo si veram, vivam & justificantem fidem habere velimus, tum illa per charitatem operetur. Gal. 5. v. 6. Aut, ut Petrus dicit 2. Epist. 1. v. 5. in fide nostra ministremus virtutem: in virtute scientiam, in scientia abstinentiam: in abstinentia patientiam: in patientia pietatem; in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem. Hæc si nobis affuerint & superent, non vacuos nec sine fructu nos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione.

Dicat quis: Hæc terrorem incutiunt miseris peccatoribus, si Deus peccatorum remissionem semel datam revocat, talesque nihilominus damnat. Num ergo concedemus in partes Novatorum, qui semel lapsos in solidum damnant, nec unquam amplius in gratiam suscipiunt? Resp. Nequaquam. Nam dum adhuc vivimus, per singulos dies, dum adhuc hodie cognominatur, Heb. 3. v. 13. valet hæc parabola, & reassumendum est id, quod ab initio dictum est, non septies, sed septuagies septies condonandum esse. Num enim putabimus, Deum à nobis hominibus misericordia, bonitate, & gratiâ peccatorum remissione superari velle? Miserationes enim ejus supereminet super omnia opera ipsius. Psal. 145. v. 9. Et apud Prophetam dicit: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Ezech. 18. v. 23. & 33. v. 11. Ergò vita nostra perpetua debet esse poenitentia. Neque enim justificatio nostra in hac vita talis est, quæ penitus auferat peccata: sed manet corpus mortis, & peccatum, quod in eo habitat, Rom. 7. v. 24. remittuntur autem peccata, & tecta illa non imputantur. Psal. 32. v. 1. Si quando autem Christus eo, quod nos recidivam patiamur, operculum istud (quod est ipsius meritum & gratuita remissio) tollat, tum nil nisi culpa sumus. Ergo si tale quid quis, novæ obedientiæ oblitus, committat, is etiam de hoc poenitentiam agat, apud Deum deprecetur, tum veniæ adhuc est locus. Et in hoc sensu D. Chrysostomus rectè dixit *χιλιόκις μετανοήσεις εἰσαλθε*, hoc est, etiam millies respiciens ingredi. Deus enim misericors est, qui gremium Ecclesiæ nunquam claudit redeunti, modò poenitentia sit seria, & non nimis sera.

Sic in hac parabola Christus complexus est summam doctrinæ suæ, quam per seculum Capernaumi & in Galilæa tractavit. 1. Omnes homines agnoscant se esse peccatores, & in ære Dei, nec esse solvendo. 2. Supplices confugiant ad thronum gratiæ, qui ipsi erectus est in Christo JESU filio Dei, & credant firmiter, ipsius sanguine sua peccata deleta esse, constanter per fidem ipsi adhæreant. 3. Caveant, ne gratiam semel acceptam & peccatorum remissionem tanto pretio emptam sive irreconciliabili odio erga fratres, sive alias novis lapsibus rursus amittant: sed tanquam filii Dei bonitatem cœlestis nostri Patris imitentur, proximum fraterno amore complectantur, & si quando ab eo offenduntur, mox reconcilientur. Sic se cœlestis Patris filios, & JESU Christi germanos fratres esse reipsâ testabuntur, atque per ipsius gratiam suo tempore ad cœlestem conversationem transferentur. Amen.

Postremum semestre Ministerii Christi.

Generalis investigatio ordinis historiarum, quæ ad hoc semestre pertinent.

Hactenus à tertio Paschate ministerii Christi ordinem historiæ Evangelicæ facili progressu conteximus. Tres enim Evangelistæ manifeste in ordine historiarum consentiunt. In illis vero, quæ nunc ad historiâ passionis usque sequuntur, difficilius videtur, aliquid certi de ordine constitueri. Magna enim apud illos, qui Harmonias con-

scripserunt; diversitas est: adeo ut ne unus quidem cum altero consentiat. Sed si mediocris adhibeatur circumstantiarum consideratio, deprehendi poterit, Evangelistas in hoc postremo semestri ministerii Christi, diligentioribus & certioribus servasse rationem temporis & ordinis historiarum, quam in præcedentibus. Illud vero hoc modo depre-

deprehendi poterit. Post tertium festum Paschat-
tis, cuius mentio fit Joh. 6. v. 4. certum est Chri-
stum ab eo tempore ad hoc usque nunquam pro-
fectum esse in Judæam, sed semper in Galilæa fu-
isse conversatum, ut Joh. 7. i. dicitur, usque ad fe-
stum tabernaculorum, eo quod Judæi ipsum in-
terficere quærebant. Historias vero illius tempo-
ris Johannes non annotavit; quia vidit eas à reli-
quis Evangelistis satis diligenter fuisse descriptas.
Quæcunque igitur in Matthæo, Marco & Luca
post miraculum de quinque panibus in Galilæa
facta esse scribuntur, pertinent ad illum modo ci-
tatam pericopen septimi capituli Johannis. Eo or-
dine progrediuntur historiæ usque ad contentio-
nem de primatu, ad historiam de eo, qui cum non
esset discipulus Christi, ipsius tamen nomine ute-
batur ad ejicienda dæmonia, & denique ad concio-
nem de scandalo vitando, atque redargutione
fraterna. Cui continuo contextu cohæret Petri
colloquium cum Christo, de condonanda offensâ
fratribus, & de parabola adjecta, sicuti vidimus.
Post hanc historiam Matthæus Cap. 19. v. 1. statim
transit ad ea, quæ trans Jordanem, non diu ante
postremum Pascha acciderunt. Idem facit Marcus
Cap. 10. v. 1. Lucas vero à Cap. 9. usque ad Cap.
18. multa inserit, antequam Christus trans Jor-
danem profectus est, & statim post indicationem
ejus, qui in nomine Christi dæmonia ejiciebat,
nec tamen ipsum sequebatur, subjungit Christi
professionem Hierosolymam versus. Johannes
quoque Cap. 7. v. 10. diserte dicit, inter ea, quæ in
Galilæa facta esse hæcenus annotavimus, & illam
mansionem circa Jordanem, Christum Hieroso-
lymam ad festum tabernaculorum profectum esse,
atque inde trans Jordanem rediisse. Nequaquam
ergo hinc statim cum Christo ad Jordanem migra-
re possumus: sed prius cum ipso ad festum taber-
naculorum ascendere cogimur. Nec est dubi-
um, quin quemadmodum illa, quæ hæcenus ex
Matthæo, Marco & Luca contexuimus, facta sunt
à tertio festo Paschatis usque ad festum tabernacu-
lorum: ita quia reliqui Evangelistæ hujus festi hi-
storiam prætermiserunt, Johannes eam contexere
voluerit. Ac proinde festum tabernaculorum in-
termedium inter illa interponendum sit.

At vero quæstio est, an professiones illæ versus
Hierosolymam, cujus unius mentionem fecit Jo-
hannes Cap. 7. v. 10. & alterius Lucas Cap. 9. v. 51.
sint una & eadem, an vero diversæ. Et quidem non
desunt, qui Lucæ professionem propterea propius
ad postremum Pascha collocant, quia Evangelis-
tarionem illius professionis hanc allegat, *quod*
complerentur dies assumptionis ejus. Hinc putant
necesse esse, ut hæc profectio vix uno aut altero
mense passionem ejus præcesserit. Sed hoc me non
moveret: quia Evangelista non dicit dies illos jam
completos fuisse, sed ponit eos in actu, *dum com-
plerentur*, tanquam complendos. Revera autem
& Christo & Apostolis jam illi in actu erant; si-
quidem jam aliquoties Christus Apostolis prædi-
xerat de suo exitu, quem ipse Hierosolymis *com-
pleturus* esset, Luc. 9. v. 31. Cum ergo & Lucas re-
stetur Jesum à Galilæa Hierosolymam profectum
esse: & Johannes idem confirmet, nec commode
commonstrari possit, quomodo hæc professiones
diversis temporibus à Galilæa institutæ fuerint:

omnino eas pro una habendas esse censeo. Maxi-
me quia illa, quæ Lucas à nono Cap. usque ad ul-
timum Pascha describit, non commode trium
mensium spatio omnia facta esse monstrari potest.
Unde quidam illa acta Christi sic coarctant, ut ni-
hil eorum iusto ordine aut loco collocari possit.
Nam omnino missio septuaginta discipulorum,
eorum reditus, & tot ac tam diversæ Christi concio-
nes iustam aliquam temporis moram requirunt.
Cum ergo postea Lucas cap. 10. v. 34. & 13. v. 22.
aliarum quoque Christi professionum mentio-
nem facturum sit, illas ita accipiendas judico, quod
Christus inter duo illa festa, tabernaculorum & en-
cœniorum, de quibus Johannes agit, non contin-
tue Hierosolymis manserit, sed intermedio tem-
pore in agrum & vicinas regiones, ob periculum
in quo Hierosolymis versabatur, excurreret, ibique
dociliter Evangelium regni proposuerit, postea
vero in urbem redierit. In priori itaque profectio-
ne, quam Lucas annotavit, exacto festo tabernacu-
lorum abiit Hierosolyma: in posteriore autem
eodem rediit ad festum Encœniorum, unde dicitur:
ibat per civitates & castella, docens, & iter faciens
Hierosolymam. Hæc considerantibus ordo sit clari-
or, sicuti in singulis capitibus magis evidenter illa
monstrari possunt.

Multi etiam sunt, qui putant Lucam in his ca-
pitibus à 9. usque ad finem 18. non continuum
texere historiam, sed scribere miscellanea, & con-
gerere ea, quæ in præcedentibus narrationibus
ipse omiserat, à reliquis autem Evangelistis anno-
tata essent. Sed si quis recte attendat, deprehendet
Christum hoc ultimo semestri instituisse quasi
generalem quandam visitationem, per omnia lo-
ca, per Judæam, mediam Samariam, Galilæam &
Peræam, in quibus hæcenus per triennium do-
cuerat, valedicturus suis auditoribus. Ad quam
visitationem legitime denunciandam, præmisit
septuaginta discipulos. Et revera jucunda est ob-
servatio, quod Christus in valedictione sua stu-
diose instituit repetitionem totius fere doctrinæ,
quam per triennium tradiderat. Unde etiam fa-
ctum, quod Lucas multas conciones Christi re-
fert ad ultimum semestre, quas reliqui Evange-
listæ describunt in primis annis ministerii ejus-
dem. Eadem enim de iisdem dicere non turpe
est: nec verbi ministro ignominiosum erit, sum-
mam doctrinæ à se proposita aliquando repetere,
ut memoriæ auditorum eo firmius imprimatur.
Tantum caveat, ne in eadem subinde oberret
chorda. Ea enim est sacrarum literarum ubertas,
ut, licet eadem de iisdem dicantur, tamen & *novæ*
& *novæ* dici possunt. Peccatur ergo
ex utraque parte, & quando ambitiosa ingenia,
ad ostentationem suæ eruditionis, subinde novi
quid comminiscuntur, ne quicquam commune
cum aliis habere videantur: & quando pigri dro-
mones ex mera fœcordia, ne cogantur scripturas
accuratius scrutari, omnibus annis idem repe-
tunt, quod priori docuerunt. Sed de eo alibi
commodius. His ita præmissis: nunc ad con-
tinationem capitulum Harmoniæ
accedamus.

COGNATI JESUM HORTANTUR, UT HIEROSOLY-
MAM ASCENDAT, AD FESTUM SCENOPEGIÆ.

JOHAN. 7. v. 2.

RATIO ORDINIS.

Post ea igitur, quæ Capernaumi gesta esse diximus, cœpit appropinquare festum tabernaculorum, cujus historiam Joannes diligentissimè descripsit. Quæstio enim hæc; An hic JESUS Nazarenus sit Messias, hætenus Hierosolymis nunquam tanta animorum contentione in utramque partem agitata fuit, quanta in hoc festo, in maxima hominum frequentia, ab omnibus id factitatum esse audiemus. Tempus enim manifestationis appropinquabat. Paræve autem ad illam manifestationem est disputatio fratrum Christi, quæ ideo præmittitur, ut ostendatur, manifestationem longè aliam futuram, quam ratio sibi fingat. Quia igitur Christus per satis longum temporis spacium, nimirum sesquiannum, non fuerat nec in Judæa, nec Hierosolymis, cognati ejus, quibus hæc ratio, qua JESUS utebatur, declaraturus se esse Messiam, non probabatur, vel suas cogitationes, vel certè vulgi sermones ad ipsum deferunt, monentes, si velit Messias esse, non debere ipsum ita inglorium in obscuro Galilææ loco in-

ter paucos ignobiles versari: sed petendam esse Hierosolymam, præsertim in festo, ut ibi manifestatus, & toto mundo applaudente ac suffragante Messias suscipiatur. Hac verò sive cunctatione sive latitatione etiam illos, qui ante in Judæa facti fuerant ipsius discipuli, languidiores reddi. Sed Christus respondet, illis quidem, qui mundi gloriam querunt, (prout filius hujus seculi usitatum sit) occasione temporis utendum esse: tempus verò suæ manifestationis nondum venisse: imò etiam cum venerit, non fore talem manifestationem, qualem ipsi sibi somniant, ut scilicet toto mundo applaudente & suffragante Messias recipiatur. Quia inquit, *mundus me non amat, sed odit*: ideo quia ministerium meum testatur de mundo, quod omnia ipsius opera sint mala: ideo me non est suscepturus. Vos itaque, quodcumque ascendere volueritis, abire potestis. Ego vobiscum non ascendo. Atque sic tum cognatis suis, tum reliquis Judæis ad festum ascendentibus, ipse Jesus in Galilæa mansit. Mox tamen postea & ipse ascendet, ut audiemus.

COGNATI JESUM HORTANTUR, UT HIEROSOLYMAM
ASCENDAT AD FESTUM TABERNACULORUM.

JOANN. 7. v. 2.

1. Ἦν ἡγορησὶς ἡ εὐροτὴ τῶν ἰουδαίων ἡ σκηνωπηγία.
3. εἶπον ἄν πατρὸς αὐτῶν οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ μετὰ βῆθι δαυὶδ ἵεν, καὶ ὑπάγε εἰς τὴν ἰερουσαλήμ, ἵνα καὶ οἱ μαθηταὶ σου θεωρηθῶσι τὰ ἔργα σου, ἀ πιαίς.
4. ἀπεῖς γὰρ ἐν τῷ κρυπτῷ πῖ πιαί, καὶ λητεῖ αὐτῶς ἐν παρηγορίᾳ εἶναι.
5. εἰ τὰ ἅπαντα ποιεῖς, φανερωσὸν σε αὐτῶν τῷ κόσμῳ· ἀδὲ γὰρ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ὄπισθεν εἰς αὐτῶν.
6. λέγει ἄν αὐτῶς ὁ Ἰησοῦς, ὁ κενός ἐστι ἐμός οὐκ ἔστι παρρησιῶν, ὁ δὲ κενός ἐστι ἐμός οὐκ ἔστι παρρησιῶν.
7. ἂν ὁ κόσμος μισῶν ὑμᾶς, ἐμὲ δὲ μισῶν, ὅτι ἐγὼ μαρτυρῶ τὰ ἔργα αὐτῶν, ὅτι τὰ ἔργα αὐτῶν ποιεῖ ὁ δὲ.
8. ὑμεῖς ἀναβῆτε εἰς τὴν εὐροτὴν ταύτην, ἐγὼ ἔγω ἀναβαίνομαι εἰς τὴν εὐροτὴν ταύτην, ἀλλ' ὁ κενός ἐστι ἐμός οὐκ ἔστι παρρησιῶν.
9. τὰ ἅπαντα ἃ εἶπον αὐτῶς, ἐμείνεν ἐν τῇ γαλιλαίᾳ.

8. Erat autem in propinquo dies festus Judæorum Scenopogia.
3. Dixerunt igitur ad eum fratres ejus: Transi hinc, & vade in judæam, ut & discipuli tui videant opera tua, quæ facis.
4. Nemo quippe in occulto facit aliquid, & querit ipse palam esse.
5. Si hæc facis, declara te ipsum mundo. Nam ne fratres quidem ejus credebant in eum.
6. Dicit ergo eis JESUS, tempus meum nondum adest, tempus autem vestrum semper est paratum.
7. Non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia ego testimonium fero de illo, quod opera ejus mala sint.
8. Vos ascendite ad diem festum hunc. Ego non ascendo ad festum hoc, quia meum tempus nondum impletum est.
9. Hæc autem cum dixisset illis, mansit in Galilæa.

Harm. Tom. I.

Rrrr Periocha